

*Quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.*

✠ Lécctio sancti Evangélii  
secúndum Matthæum

22, 1-14

In illo témpore:

- <sup>1</sup> **R**espóndens Iesus  
dixit íterum in parábolis  
príncipibus sacerdotum et senióribus pópuli, dicens:
- <sup>2</sup> «Símile factum est regnum cælórum hómini regi,  
qui fecit núptias filio suo.
- <sup>3</sup> Et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias,  
et nolébant veníre.
- <sup>4</sup> Iterum misit álios servos dicens:  
“Dícite invitátis:  
Ecce prándium meum parávi,  
tauri mei et altília occísa, et ómnia paráta;  
veníte ad núptias”.
- <sup>5</sup> Illi autem neglexérunt et abiérunt, álius in villam suam,  
álius vero ad negotiatióem suam;
- <sup>6</sup> réliqui vero tenuérunt servos eius  
et contumélia afféctos occidérunt.
- <sup>7</sup> Rex autem irátus est  
et, missis exercítibus suis,  
pérdidit homicidas illos  
et civitátem illórum succéndit.
- <sup>8</sup> Tunc ait servis suis:  
“Núptiæ quidem parátæ sunt,  
sed qui invitáti erant, non fuérunt digni;
- <sup>9</sup> ite ergo ad éxitus viárum  
et quoscúmque invenéritis, vocáte ad núptias”.
- <sup>10</sup> Et egréssi servi illi in vias,  
congregavérunt omnes, quos invenérunt,

malos et bonos;  
et implétæ sunt núptiæ discumbéntium.

<sup>11</sup> Intrávit autem rex, ut vidéret discumbéntes,  
et vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli

<sup>12</sup> et ait illi:

“Amíce, quómodo huc intrásti,  
non habens vestem nuptiálem?”.

At ille obmútuít.

<sup>13</sup> Tunc dixit rex minístris:

“Ligáte pedes eius et manus  
et míttite eum in ténebras exterióres:  
ibi erit fletus et stridor déntium”.

<sup>14</sup> Multi enim sunt vocáti,  
pauci vero elécti».

Verbum Dómini.